

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Homo s  
cum fonte primo

Quo tempore quidam uir magnus et sapiens cognouit,  
que materia esset, et quanta ad maximas res oportunitas animis inesset hominum,  
si quis eam possit elicere et precipiendo meliorem reddere,  
qui dispersos homines in agris et in tectis siluestribus abditos ratione quadam compulit,  
in locum unum et congregauit,  
et eos in unamquamque rem utilem atque honestam inducens,

ex feris et immanibus mites reddit et mansuetos.

At michi uidetur quidem hoc nec tacita nec inops dicendi sapientia perficere potuisse,  
ut homines a consuetudine subito conuerteret, et ad diuersas rationes uite traduceret.

Ibidem (Tullius in prologo rethorice).

quo tempore quidam magnus videlicet uir et sapiens cognouit,  
quae materia esset et quanta ad maximas res oportunitas in animis inesset hominum,  
si quis eam posset elicere et praecipiendo meliorem reddere;  
qui dispersos homines in agros et in tectis siluestribus abditos ratione quadam compulit  
unum in locum et congregauit  
et eos in unam quamque rem inducens utilem atque honestam  
primo propter insolentiam reclamantes,  
deinde propter rationem atque orationem studiosius audientes  
ex feris et inmanibus mites reddidit et mansuetos.  
ac mihi quidem hoc nec tacita uidetur nec inops dicendi sapientia perficere potuisse,  
ut homines a consuetudine subito conuerteret et ad diuersas rationes vitae traduceret.

Marcus Tullius Cicero, *Rhetorici libri duo de inuentione*, 1.2-3 (E. Stroebel ed., pp.2-3, ll.27-29, 1-11).